

Kern 254
(1-19)

(19)

D E
M U T A T I S
P E R U S U M C O R T I C I S P E R U V I A N I
S Y S T E M A T I B U S M E D I C I S ,

C O N S E N S U F A C U L T A T I S M E D I C A E

H A L E N S I S ,

P R A E M I S S A

S O L E M N I A D T H E S E S Q U A S D A M M E D I C A S
D I S P U T A T I O N E ,

U T

G R A D U M D O C T O R I S M E D I C I
A C Q U I R A T ,

D I S S E R I T

C A R O L U S J O S E P H U S S T E H R ,
S I L E S I U S ,
S O C I E T . S Y D E N H A M , S O D A L I S .

H A L A E ,

T Y P I S B A T H E A N I S . M D C C I C .

Duke.75 Klem 458

818 A 11
HANOVER
HÖRIG
GASCHIG
BIBLIOTHEK
MEDIC
CHILOON POLYGRAPHIA MEDIC
PHTIC POLYGRAPHIA MEDIC

DE MUTATIS
PER USUM CORTICIS PERUVIANI
SYSTEMATIBUS MEDICIS.

I.

Feliciter nostrorum temporum ratione factum est, ut, perquisitis remotissimis terrae regionibus, innumera sint inventa remedia, quibus multo tutius multoque celerius morbi vel atrocissimi cedunt, quam olim id fieri potuerit. Cujus rei ut luculentissimum adferam exemplum, ad ea provoco medicamenta, quae alvum lenire ac ducere valent. Antiquis enim temporibus huic fini aptissima videbantur fortiora remedia, quae ~~δεστητας~~ agendo damni plerumque plus producerent, quam emolumenti. **Coccı Cnidii** (semina Daphnes Mezerei) **succi Euphorbii** (*Euphorbia Peplus*, *E. Characias*) **radix Thapsiae** (*Thapsia Asclepium*) **elaterium** (*Momordica Elaterium*) **daucus** (*Athamanta cretensis*) **Scammoneum** (*Convolvulus Scammonia*) **elleborus** (*radix Veratri albi*) ~~εχέτρωτις~~ (*radix Bryoniae*)

A 2

albae) colocynthis (Cucumis Colocynthis) ejusmodi fuerunt remedia, quibus alvum ducere conabantur Coi et Cnidii medici, Hippocratis temporibus ¹⁾.

Quam deinde commercio amplissimo, quod Ptolemaei in Aegypto stabiliverant, orientales rerum naturalium thesauri innotescere coepissent, draftica ea remedia cesserunt mitioribus, mannae, foliis sennae, myrobalanis, ipsique radici rhei, quae ab Arabibus demum in usum unice vocabantur. Jam vero multo cautius discrimen illud inter remedia, quae mollire duntaxat alvum valent, et ea, quae purgant, stabilitum est, aliaeque in medium prolatae sunt regulae, quae sequi debeat medicus, his remediis utens.

Simili plane ratione, antequam divinum illud remedium, corticem peruvianum, numinis gratia nobis largita esset, roborantia plura omnino innotuerant medicis, quibus nonnulli eorum morborum fugari possent, quos debellare solus corticis peruviani usus creditur. Etenim majores nostri, vel stomachica, ventriculum calefacentia ac siccantia, huic fini apta crediderunt, velut apsynthium, folia et baecas lauri, chamomillam, semina cumini, zingiber, nucem moschatam, macin, caryophyllos, cinnamomum, fumariam, centauream benedictam, rubiam tinctorum, calamus aromaticum; vel medicamenta, quae, alexipharmacæ dicta, qualitate peculiari occulta agere credebantur, in auxilium vocarunt, quibus

1) SPRENGELI'S Apologie des Hippokr. Th. II. S. 266. f.

angelicam, carduum benedictum, valerianam, vincetoxicum,
scabiosam adnumeratas invenimus.

Utriusque autem remediorum generis illud qualitatibus
elementaribus, calore nimis et siccitate, agere, hoc vero
occulta sua proprietate venenum quoddam expellere crede-
batur: unde nova accepit systema dominans augmenta.

3.

Alia autem rerum facies exorta est, quum primum
cortex peruvianus in Europam invectus esset. Arbor, cuius
cortex is est, sponte provenit in montibus regni Peruviani:
optimus vero ex arboreis sumitur, quae Cajanumam mon-
tem, duo cum dimidio milliaria a Loxa urbe remotum, ob-
tegunt ^{2).}

Inde etiam adlatus primum in Europam fuit, aut Euro-
paeis saltem primum innotuit.

Prius autem Americani cognoverunt corticis peruviani
usum, quam Europaei, verique perquam similis est traditio
Antonii BOILLI, mercatoris Januensis, a Sebastiano BADO
citata ³⁾, consulo Americano celasse ejus usum, ne oppref-
sores et id emolumentum caperent. Adhibuisse autem ita
id remedium dicuntur, ut contusum corticem aqua infusum
per diem servarent ac deinde exhiberent aegrotis.

²⁾ de la Condamine in mém. de l'acad. des scienc. à Paris,
a. 1738. p. 321.

³⁾ Sebast. BADI (al. BALDI) anaftasis corticis peruviani, p. 7.
(8. 1668.)

Antiqua ejus regionis traditio fert, didicisse incolas usum ejus remedii a leonibus, quos obnoxios esse febris intermittens cuidam speciei varii perhibent naturae scrutatores. Has belluas naturae iussu monitas vorare arboris ejus corticem, ejusque usu protinus sanescere ⁴⁾.

4.

Primum autem usus corticis peruviani Hispanis Loxae, in ditione Quitensi, innotuit, ubi diu viguit, priusquam Limae quisquam id remedium cognovisset ⁵⁾). Anno vero 1638 proregis peruviani, comitis de Cinchona, uxori febre tertiana pertinaci laboranti, judex Loxensis (el corregidor de Loxa), quum patronam suam pervicaci eo morbo afflictam esse audiisset, corticem hunc, Loxae jamdiu usitatum, misit, fide sua interposita, id remedium expeditissimum esse. Has literas cum prorex accepisset, judicem protinus Limam vocavit, ut ipse novi et inauditi medicamenti usum ordinaret. Tenera femina, metuens anicipitis remedii malum effectum, experiri illud noluit, nisi prius experimenta in aliis vilibus hominibus instituta fuerint. His optimo cum eventu factis, et ipsa illud adhibuit, ac brevi convaluit.

4) Quae leones americanii olim dicebantur, animalia procul absesse a veris leonibus, felis potius aliam speciem, Puma m facit jure suo BUFFONIUS (hist. des quadrupèdes, vol. VIII. pag. 109 - 113.).

5) FAUSTO de la Cueva apud CONDAMINE l. c. pag. 330.

Cives deinde Limenses, admiratione tam egregii effectus, quem id remedium praestiterit, capti, legatos miserunt ad proregem, qui, ut ejus medicamenti facultas ipsis daretur, follicitarent. Loxa itaque apportatam corticis hujus insig-nem copiam proregis uxor inter cives omnes distribuit, qui, gratitudine moti, ex eo tempore pulvrem Comitissae eum nominarunt.

5.

Non multo post, pertaesa proregina ejus officii, ut cuilibet aegrotanti pulvis is exhiberetur, patribus e societate Jesu injunxit, unde postea nomine pulveris Jesuitarum insignitus fuit.

Interea factum est, ut Europae quoque innotesceret ejus remedii usus. Namque prorege Peruviani regni 1640. reduce in Hispaniam, medicus ejus Joannes DE VEGO insig-nem ejus copiam secum attulit, ac centum re alibus libram vendidit. Hispali commorans prorex per totum Hispaniae regnum id remedium dispescuit. Eodem fere tempore fra-tres societatis Jesu antistiti ipsorum Europam redeunti copiam ejus pulveris dederunt, qui, Galliam peragrans, non ingenti solum numero hominum, maximo cum fructu, id remedium distribuit, sed ipsi etiam regi Lodovico XIV. febri-citanti suasit, ut id caperet. Quo facto, illico convaluit rex, et remedium ipsum laudibus summis elatum est. Cum Romam venisset antistes, cardinali de LUGO id largitus est, qui pauperibus gratis dedit, divitibus vero caro fatis pretio

id vendidit, unde pulveris cardinalis de Lugo dictus est cortex peruvianus.

6.

Non potuit autem fieri, quin admirandus omnino et citissimus effectus, quem id remedium produxerat, medicorum invidiam fuscitaret. Pontifices, corticem distribuentes, in alienas segetes videbantur falces immisere, ipsumque nomen infamum, pulveris Jesuitarum, in metum et horrorem plurimos, ex ecclesia reformatorum conjecit, fore ut factio hoc ac diabolico pontificiorum pharmaco occiderentur acatholici.

Verissimum quidem profitetur Richardus MORTON⁶), non defuisse ubique nefarios quosdam detrectatores, qui dolo malo consilium de hujus pharmaci fama premature suppimenta ceperunt, ne scilicet, hac succincta methodo febres obtruncandi, aegrotantium crumenas emulgendi occasio tolleretur. De hac conspiratione saepius palam verba habere pharmacopolem Bartramium Londinensem meminit: atque fatetur, nefarios ejus farinae homines et ignavos seipsum iisdem illecebris in suas partes trahere tentasse.

Temere igitur et sine experimentis prius institutis magnum hoc remedium condemnarunt et famam ejus calumniis ubique insectabantur, ut, si quae fortuito mala, vel anno post ejus usum elapsi, contingerent, haec omnia huic remedio adjudicarent.

Praeter

6) MORTONI opera, tom. II, pag. 69. (8. Amst. 1696.).

Praeter hos vero nefarios detrectatores, non defuerunt plures, licet docti viri et probi, veteri tamen et crassa humorum sensibilium et qualitatum hypothesi occoecati, qui de usu corticis valde ancipites haererent, quandoquidem febres, quas ab humoribus ortas existimabant, absque sensibili humorum evacuatione curatas ejus ope observassent. Febrem itaque in humoribus qualitate peccantibus locantes, remedium qualitate contraria praeditum requirebant, et, hi propter siccitatem, illi ob caliditatem aliasve manifestas cortici adscriptas qualitates, ejus usum impugnarunt et apud vulgus suspectum reddiderunt.

7.

Primum eae controversiae in Hispaniis agitatae sunt. Ibi enim COLMENERUS quidam anno jam 1647. libellum editit rarissimum, in quo e Galenicae scholae principiis usum corticis, tanquam perniciosum, damnare aut reprobare falem studuit ⁷⁾. Respondit ipsi GONZALO FERNANDEZ. Experientiae is innitens ausus est contra Galenici systematis dogmata pugnare ⁸⁾.

Suppari fere aetate pontifex maximus Innocentius X. jussit, ut vires corticis curatius investigarentur. Quo facto emporium Romae institutum est, e quo hujus remedii insignis copia distrahebatur.

7) COLMENERO reprobacion del pernicioso abuso de los polvos de Chinachina. Madr. 1647.

8) FERNANDEZ Defensa de la China contra Colmenero. 1647.

Mox vero in Belgio lis exorta est de usu aut abusu hujus remedii, quae contentione summa agitabatur. Ex Peruviano regno in Belgium apportatus a Michaële Belga cortex duplum quartanam Archiducis Austriae et gubernatoris Belgij, Leopoldi Gulielmi, dispulit, tum etiam recidivam. Quum vero secunda vice febris reversa fuisset et princeps recusaret medicamentum, mors sequuta est. Id contigit anno 1652.

Joannes CHIFFLETTIUS, rumore de damnis corticis ad ductus, historiam hujus morbi conscripsit, ut usum ejus remedii reprobaret ⁹⁾. Carpit in cortice, quod recidivae plurimae eum sequantur, quod praestet morbum tolerare, qui absque periculo sit, quod nimis calidus fit cortex, accendat et torreat imbecilla praecordia, quod vitae pabulum depopulet; quum alia insuper existent auxilia, quum parum tutus sit corticis usus, quod prudentes medici fere omnes ejus usum damnent, quod ejus usui colici dolores aliaque id genus symptomata supervenire soleant.

Adnexa est Antimi Conyggii Ψευδωνύμου, qui HONORATUS FABER esse dicitur, defensio corticis peruviani. Efficaciam febrifugam is in tenuitate partium corticis collocat, unde crassos humores incidi et caussam febris tolli arbitratur. Eas vindicias masculine, ut solebat, et acriter refutare sibi summis Vopiscus Fortunatus PLEMIUS, Prof. Lovaniensis,

9) Pulvis febrifugus orbis americanus, 4. Lovan. 1653.

acerbus ille sed sincerus circuli Harvaeani adversarius ¹⁰). Testibus pluribus adductis confirmare studet, ex usu corticis in febre intermittente supervenire febrem continuam. Bruxellis neque unicum convalescere hoc remedio hominem, neque alibi bonos produxisse effectus, sed magis noxios, in primis letales in Italia. De epistola loquitur a rege Hispaniarum missa, qua cortex peruvianus spernatur. Summam is libellus laudem retulit, quasi peste orbem PLEMPIUS liberasset.

Neque tamen negari potest, id remedium iis temporibus, quum vires ejus nondum rite cognitae essent, haudquam idonea copia et forma exhibitum fuisse. Ultra drachmam enim ascendere non audebant medici, neque aliter ac vino infuso id exhibebant. Accedebat carum satis pretium, quod Jesuitarum monopolio debebatur; viginti enim doses sexaginta florenis vendebantur. Thomas BARTHOLINUS 1655. a discipulo ex Halia reduce accepit, tanquam exiguum donum, tres doses hujus corticis.

Hinc etiam SYDENHAMUS et MORTONUS eo tempore exiguis dosibus semper pulverem febrifugum tentarunt: ipseque protector Cromwellius sumvit portiunculas ejus remedii, sed incassum. Namque non multo post decessit.

B 2

¹⁰) Melippi Protimi Antimus Conygius pulveris peruviani defensor repulsus, 4. Lovan. 1655.

9.

SYDENHAMUS testatur in epistola responoria ad Robertum Brady, anno 1679. conscripta ¹¹⁾, annis abhinc viginti quinque (ergo 1654.) pulverem sic dictum patrum apud Londinenses, in exterminandis praesertim quartanis febribus primum coepisse inclarescere. At vero non ita multo post, duabus de caussis, non quidem levibus, damnatum, in desuetudinem abiisse. Primo, quia paucis horis ante adventum accessus febrilis, pro recepto id temporis more, exhibitus, aegrum nonnunquam e medio tolleret; quod et civi ciuidam Londinensi, eidemque senatori urbano, Underwood nomine, et decurioni, nomine Potter, in vico Black fryars pharmacopolea, meminit accidere.

Funestior hic pulveris exitus, quamvis oppido rarus, medicos tamen paullo cordatiiores ab ejus usu retraxit.

Deinde saepius aeger ope pulveris a paroxysmo alias invasuro liberatus, quod plerumque eveniebat, tamen intra dies quatuordecim recursum morbi ut plurimum patiebatur, in morbo scilicet recenti, necdum temporis cursu suoque marte mitigato.

Maxima pars hominum, his permota rationibus, spem de hoc pulvere jampridem conceptam protinus abjeciebat. Neque enim tanti aestimabant paroxysmum ad paucos dies protelare, ut se eo nomine in vitae disserimen a pulvere intentatum induci paterentur.

11) SYDENHAM, opp. tom. I. pag. 187.

SYDENHAMUS vero iamdiu haud vulgarem hujus remedii vim perpendens, animoque revolvens, non alio magis quam hoc herculeo medicamento febres intermittentes debellatum iri confitebatur, si, qua par erat, cura accederet et diligenteria. Diu itaque ac multum apud se agebat, ut et pericula a pulveris usu impendenti, et recidivae intra paucos dies subsecuturae (quae duo erant amolienda incommoda) posset occurrere, atque aegrum hujus ope ad perfectae sanitatis gradum promovere.

Primo periculum, quod minitabatur, non tam ex ipso cortice natum arbitrari coepit, quam ex eo, quod minus opportune aegro ingereretur. Cum enim vis ingens febris diebus a paroxysmo vacuis in corpore fuerit aggesta, pulvis praedictus, si immediate ante accessum febrilem deglutiat, id efficere ipsi videbatur, quo minus materies febrilis ipsa naturae methodo, paroxysmi scilicet impetu, possit eliminari, quae proinde praeter fas inclusa aegrum in vitae discrimen soleat conjiceret.

Hoc ipse malum profigare posse existimabat, materiae que pariter febrili de novo generandae obicem opponere, si protinus ut paroxysmus desierit, confessim pulverem exhiberet, quo infecuturus sufflaminaretur, et diebus intermissionis, statim subinde vicibus, eundem repeteret, donec novus invaderet paroxysmus, atque ita paullatim, tutoque proinde, sanguinis massam salutifera corticis virtute penitus inficeret.

Deinde cum recidiva ex eo ipso videretur subnasci, quod sanguis non satis impraegnaretur virtute febrifugi, quod, utut efficax, una tamen vice morbo penitus exterminando par non fuit, iccireo autemabat, nihil ad eam praecavendam aequem posse conducere ac methodum repetendi pulveris, etiam devicto ad praefens morbo, justis semper intervallis, antequam scilicet vires praecedentis dosis prorsus elanguerent.

Meliora itaque fata corticis usum manserunt, quam et SYDENHAMI commendatione et WILLISII, qui quotidiano id remedium sibi usu venire anno 1660 testatur, probaretur.

Vindicias corticis insuper edidit Rolandus STURMIUS, medicus Delphensis, qui PLEMPII et CHIFFLETII contrarias rationes expendit, adfert suas observationes, quae omnino cortici favent, et febrifugum effectum ad resolutionem materiei morbosae refert. Diserte ait, febrifugum peruvianum hactenus paene sopitum, jam demum ob experimenta varia ejus praepollentis efficaciae in profligandis quartanis, anno 1658. frequenter habita, resuscitari coepisse. Et paullo post de medicis coaevis hoc modo clare sententiam suam profert: medicamentum scilicet, quod non noverant, ausi sunt non modo alto supercilium despicere, sed etiam sesquipedalibus verbis idem prosequentes eliminare ¹²⁾.

¹²⁾ Rol. STURM corticis Chinæ Chinæ ejusque virtutum et virium descriptio. 12. Antwerp. 1659.

12.

Summa contentio inter Italicos orta est medicos anno 1661, cum res Cardinalis Douchi febre notha tertiana laborantis agebatur. Praesertim vero e rationibus, quas adversarii hujus remedii adduxerant, efficere licet, quanta fuerit vis imperii Galenici etiam iis temporibus ¹³⁾.

Ex his medicis Christophorus Paravicinus, medicus Mediolanensis, utut in quartanis corticis usum commendet, reprobat tamen in mixtis febribus et biliosis, ub caliditatem, qua febris adhuc magis accendi possit. Haec vero sententia haudquaquam Hippocraticae doctrinae genium sapit. Ille enim in libro de vietu acutorum, ipsum vinum febricitantibus commendavit.

Alter adversarius hujus remedii, Rochus Casatus usum corticis in omnibus intermittentibus convellit, quia eum frigida et narcotica virtute esse suspicatur, unde spiritus pro tempore quadantenus forsan obdormiscant et hebetentur; at, post inducias, paroxysmi vehementiores, et humore peccante in nobiles partes translato aut magis corrupto, dirissimi morbi sucedant.

13.

His adversariis se similibus rationibus Galenieis et scholasticis opposuit Gaudentius Brunaclius, doctor Romanus, dum corticem peruvianum defendere sibi sumeret. Adeo tamen nugatur bonus auctor ac tricis scholasticis tan-

13) BADI anaftaf. cort. p. 139.

topere sepe implicat, ut seipsum saepe non intelligere potuerit.

Primum inquirit in temperamentum hujus remedii, quod calidum esse et siccum tum e diuretica virtute, tum ex analogia cum rheo et sassafras concludit. Deinde uberrime et taediosis omnino nugis demonstrare conatur, tertio gradu calidum esse, et virtute temperamenti sui febres propellere. Namque calore suo calorem praeternaturalem, qui a bile aut putridis humoribus in febre oriatur, minuere ipsi creditur¹⁴⁾. Tum vero etiam occulta qualitatis proprietate et antipathia agere contra venenatam febri naturam evincere studet. Ita proprius accedit ad FERNELII doctrinam, qui, qualitatibus humorum elementaribus e pathologia averruncatis, occultas potius qualitates et venenatam morbi vim substituerat¹⁵⁾.

BRUNACIUS insuper concedit, etiamsi rationibus schoiae usus corticis probari nequeat, unicam experientiam veram, quae commoda ejus insignia evincat, praestare prae omnibus ratiociniis¹⁶⁾.

14.

Multo meliorem elegit partem Sebastianus BADUS, qui proprio nomine vocabatur Baldus, Januensis, dum a CHIFFLETII et PLEMPII (§. 8.) calumniis corticis peruviani usum vindicare studeret¹⁷⁾. Dum Romae olim cum Cardinale de Lugo

14) BRUNACLI syntagma de Cina Cina, p. 60. seq.

15) SPRENGELS Gesch. der Arzneyk. Th. III. S. 26.

16) I. c. p. 110.

17) BADI anaesthesia corticis peruviani 4. Genuae 1663.

Lugo medicinam fecisset, experientias plurimas de emolumentis hujus remedii colligit (§. 5.).

Ipse non valde curat, quanam cortex qualitate operetur, dum satis certa sit ejus efficacia. Optime etiam animadvertisit, si calida qualitas certa fuerit, hac ipsa febrem fugari posse, quum Hippocratica schola et vinum et; alia calida egregii usus esse in febribus comperuerit. Ursisse se testatur, ut non in sola quartana, sed pariter in tertiana cortex adhiberetur, et felicia sui consilii exempla dat, etiam in notha tertiana, in qua parotis erumpit; primusque obtinuit, ut in febre tertiana daretur.

Sed insuper etiam ad hemitritaeum valere, ad febres continuas hyemales, ad catarrhos, ad rheumatismum, ad hypochondriacum malum, liberaliter fere nimis fatetur. Londonenses medicos usum hujus remedii rejicere miratur, cum ipse ne in maligna quidem febre rejiceret: melius equidem, priusquam detur, corpus expurgari, neque tamen multa et repetita purgatione opus esse. Sufficere unicam purgationem contendit.

Exempla adfert corticis in duplii tertiana, cum funestus metueretur eventus, felicissime exhibiti; sanati quoque hemitritaei, citra ullam praegressam evacuationem.

Contusi corticis drachmas duas dat, vino infusi; tenellis vero solum vinum, cui cortex admixtus fuit, neque vult totis diebus macerari. Recidivas unica corticis dosi profligat, ipsaque continuas febres eodem modo tollit. In his omnibus id praeprimis desidero, nulla attulisse cordatum auctorem

C

indicantia specialia, nulla contraindicantia. Ultero enim
largitur aliquoties id remedium, praestantissimum utique,
spem fecellisse in venereis inque tabidis corporibus.

Mox Roberti cujusdam TALBOR, pharmacopolea Can-
tabrigiensis, opera factum est, ut in Anglia, ubi adversarios
ad annum 1665. plurimos habuerat cortex, insignem acqui-
reret famam. Etenim felices Talborii curationes plures
excitarunt imitatores, ipsumque SYDENHAMUM mouisse
videntur, ut curatius vires hujus remedii investigaret.

Quum vero methodus Talboriana per totam fere Europam magnopere celebrata fuerit, maxime ob felicem Ludovici XIV. curationem ea peractam, superfluum non videtur, subnectere eamdem ex raro libello Joannis JONES, medici Londinen sis¹⁸).

R. Quinquinae opt. subtilissime pulverizatae libr. unam.
Inspergatur alternatim decoctione anisi et succo petrofelin
per diem unum aut alterum. Deinde indatur urceo figlino
cong. vii capaci; vas jugiter agitato pulvere, sensim imple-
atur vino rubro gallico: fiat infusio frigida per octo dies,
bacillo spathulave aut alio idoneo instrumento ter quotidie
funditus agitur, et colatura demum in ampullis vitreis
probe obturatis reponatur.

18) Novarum dissertat. de morbis labstrusior, tr. I, de febribus
intermitt. p. 227. (8. Hag. Com. 1684.)

Vinum hoc medicatum febricitantibus propinavit ad quinque uncias vel sex; quaque tertia hora; nisi somnus obstitterit, a paroxysmi praecedentis declinatione ad sequentis accessionem, usque dum paroxysmi evanuere; et dein (ventriculo jejuno) per sex dies continuos mane et horis ad minimum duabus a coena.

R. Magma infusionis prioris, additoque quinquinae recentis pulverizatae unciam dimidiam. Fiat modo praedicto infusio per dies decem. Colatura propinavit uncias quinque aut sex, alternis diebus, mane tantum, per octo dies continuos a sex prioribus numerandos.

R. Magma secundae infusionis, et infundatur, ut prius, per alios decem dies etc. Hujus dedit uncias sex alternis diebus mane, per alios quatuordecim dies, et dein per totidem dies quavis tertia hora.

R. Quinquinae laevigatione super marmore in alcohol redactae uncias duas. Pulveri in ampulla vitrea recondito adfunde spiritus vini optimi uncias octo. Vas radiis solariis per quindecim dies expositum quotidie agitetur. Tinctura decantata reponatur in vase vitro fidelius obturato.

Ubi febris contumacior praemissis infusionibus non pareret, singulis earumdem dosibus instillentur hujus tincturæ guttae quinque aut octo.

Quemadmodum Itali medici Galeni systemati adhaerentes vires corticis e qualitatibus elementaribus declarare studebant, ita medici gallici, germanici et batavi, SYLVIUS

(1801 mo) C 28

praeente, e chemicis ipsius proprietatibus insignem explicuerunt efficaciam.

Jacobus MINOR credit, alcalina virtute pollere corticem, eumque usum praestare, ut acor humorum, qui febrium causa sit, eo dometur et neuter reddatur¹⁹⁾. Sic Joannes JONES evincere conatur, terreo-falinam esse corticis proprietatem, ejusque particulas intime esse mixtas, ut resolutio humorum peccantium et evacuatio eorum rite peragatur²⁰⁾.

17.

His potissimum ratiociniis tum Galenicis tum chemicis experientia refragabatur, masqueleque iisdem sese opposuit Thomas SYDENHAMUS. Hic enim, Baconis Verulamii consilia sequens, id egit, ut, scholarum omnium ratiociniis spretis, soli experientiae iisque argumentis fidem acquireret, quae observationibus nituntur. Id vero effecit paeprimis usu corticis peruviani magis inculcato.

In fine enim eximit tractatus de podagra²¹⁾ monet pri-
mum, methodum, quam ibi tradat. Φαινομένων praedictorum
exāmini inniti, quamque ipse fecutus, tam in se ipso, quam
in aliis morbi levamen perceperit. Therapiam radicalem,
et usquequa perfectam, qua quis etiam a diathesi ad
hunc morbum foret liberatus, in Democriti puteo adhuc abs-
conditam latere. Forsan olim fore, ut remedium specificum
adversus podagram excogitetur. Quod si unquam contingat,
inscitiam suam dogmaticis id remedium exprobraturum esse,

19) SPRENGELR Gesch. der Arzneyk. Th. IV. S. 428.

20) Dissertat. cit. pag. 210.

21) SYDENHAM. opp. pag. 332.

atque exinde liquebit, quantopere in remediis, quibus morbi causam proximam debellare studeant, hallucinentur.

Hujus rei luculentissimum adducit experimentum, specificum nimitem illud summum et unicum in febribus intermittentibus, corticem peruvianum. Quam inauspicato enim desudaverint omnis aevi medici in investiganda et debellanda febrium intermittentium caussa proxima, hujus corticis usus felicior palam facit: cuius ope (inquit SYDENHAMUS) nos nunc, tum humores Galenicorum omnes, (tum chemica principia) tum etiam diaetam et regimen quodecumque susque deque habentes, ac nil nisi methodum pulvri exhibendo debitam observantes, scopum recta attingimus.

Ob insignem hujus remedii efficaciam principem illi locum inter omnia quotquot sunt remedia deferre nullus dubitat, neque ullam sequi ejus usum noxam autumat, nisi quod illi, qui diuturnum et repetitum corticis usum experti sint, in speciem quandam rheumatismi scorbutici nonnunquam incident ²²⁾.

18.

Egregie etiam SYDENHAMUS docuit, curandum esse in usu corticis ante omnia, ne nimis praemature, antequam morbus sua sponte aliquantis per se protriverit (nisi collabescentes et iam fractae aegri vires eundem temporius sumendum esse dictaverint), deinde neque catharsi, multo minus venaelectione subducendam esse materiae febrilis aliquam partem, quo liberius cortex suo fungatur munere ²³⁾.

Bene animadvertis, eos, qui exhibendo cortici aliquid adjiciunt, praeter vehiculum eidem in ventriculum transmitendo necessarium, aut ex ignorantia peccare, aut dolo malo, a quo vir probus ex animo abhorrebit ²⁴⁾.

22) Ib. pag. 186.

23) Ib. pag. 55.

24) Ib. pag. 192.

omni praesupponit in mutorum 19.
Alter hujus remedii praecox, qui, contentis ac rejectis
omnibus circa ejus usum praejudicis, magnopere id com-
mendavit, Richardus fuit MORTON, magni Sydenhami
aemulus. Is praeprius objectiones eas sustulit, quas adver-
sarii ejus e theoria potius desumferant, idoneum dein et ju-
stum usum praecclare docuit.

Primum enim, quod semper fere objiciebatur, recru-
descere facillime febrem post usum corticis, ita optime MORTONUS refutavit, quod recidivas fieri natura potius morbi,
quam ob corticis usum praegressum, monstraret, quod dein
doceret, ipsas recidivas felicius nulla alia methodo fugari
posse, quam corticis ipsius repetito usu. Bene animadver-
tit, ipsas sequelas intermittentium febrium, phthises puta,
febres nervosas et cachexias tantum abesse, ut a corticis ni-
mio usu oriuntur, ut potius tum demum sequi soleant, cum
nimis parcis febrifugi hujus dosibus febris potius supprimatur,
quam subigatur. Nunquam enim se poenitere meminit, quod
corticem frequenter et copiose exhibuerit: inde enim saepe ap-
petitum magis firmatum, concoctionem alimentorum in ven-
triculo restitutam, generi nervoso robur adjectum, et habi-
tum corporis a statu tabido in athleticum mutatum observavit.

Quod ad febris faeces spectat, quae in corpore deli-
tescere dicebantur post sublatam febrem, illas palam profi-
tetur se penitus ignorare, aequa ac faeces ipsius pharmaci,
quibus vulgus perterritum, post usum corticis cathartica
medicamenta perperam efflagitare solebat. Faex quippe
unica, seu fomes febris, juxta MORTONI sententiam, est
venenatus spirituum status, qui inde humorum massam varie
agitant: hoc autem a propria antidoto subacto humores in
statum naturalem sine faecibus redeunt. Qui igitur post
victoriam a cortice de veneno reportatam, de faece morbi

adhue solliciti sunt, ipsi videntur nodum in scirpo quaerere, modo absit manifesta cachexia, quae huic veneno primum ansam praebuerit.²⁵⁾

Objectionem aliam, quod nempe hic cortex confingendo humores febrifugam suam vim exerceat, unde habitus corporis non possit non obstrui ac constipari, ita rejicit, ut ad catharticam virtutem corticis saepius observatam refugiat, simulque ostendat, veterum deliramenta de humoribus corruptis in febre intermittente huic opinioni de obstruente corticis facultate gignendae occasionem praebuisse. Fatetur denique, sola alexipharmacis vi corticem febres fugare, ac id fieri nulla sensibili evacuatione, neque sudore, neque urina, neque salivatione. Quodsi aliquando ejusmodi humores excernantur, id critice fere nunquam fieri, sed semper detimento aegri.

Deinde MORTONUS caussam remotam febrium intermittentium non humorum corruptionem esse, sed vim deleteriam veneni, qua vires labefactentur et spiritus sufflaminentur, contendit. Sicut satius est philosophum sana mente quaedam ignorare, quam insane nugari et delirare, ita superflui sunt omnes conatus, naturam hujus veneni declarandi ac qualitates ejus sensibiliter indagandi. MORTONUS cum SYDENHAMO consentit, tum veneni morboſi actionem ex foliis phaenomenis posse cognosci, tum antidoti vices corticem agere, atque eam nervosi systematis debilitatem tollere, que veneno morboſo originem debeat. „Sufficit nobis, inquit, modestam philosophiam unice professis, nosse örti, sicut venena immediate spiritus adſciunt, ita etiam antidoti haec miasmata in spiritus impressa delendo, vires suas alexipharmacas exerunt, quamquam, sioü id efficiant, nos profus nefcire ultro confiteamur”²⁶⁾.

25) MORTON pyretol. c. 7. pag. 80. (8. Amst. 1696.).

26) Ib. pag. 86.

Hinc itaque summum emolumentum, quod corticis peruviani introductus usus produxit, melior theoria fuit omnium eorum morborum, in quibus vires suas utiles exseruit.


Proposita a BACONE VERULAMIO melior methodus, naturam morborum non e ratiociniis, sed ex observationibus deducendi, exhibita primum a SYDENHAMO, egregie hujus remedii usu confirmata fuit. Hinc ab eo tempore palam profiteri saniores medici ausi sunt, de iis ratiocinari, quae extra sensuum sphaeram posita sunt, non aliud esse, quam eruditæ delirare, praesertim ubi vera indicatio curativa absque his argutiolis innotescat ²⁷⁾.

Ita deinceps factum est, ut pestis illa humani ingenii, conatus nimirum, omnia explicandi ac naturae leges prescriberdi juxta systematum deliramenta, cedere deberet saniori methodo, prepresso pede observationum viam incedendi, atque in iis subsistendi, quae observationes docuerint.

Similem plane ingressi sunt viam plurimi alii auctores senioris aetatis, qui, perspecta vi febrifuga hujus remedii nullo modo e qualitatibus manifestis, neque e chemicis principiis declaranda, in id solummodo intenti fuerunt, ut experientiam ducem agnoscerent, quae sola docere possit, quinam effectus exspectandi sint a divino eo remedio, quaeve incommoda.

Gratias itaque summae providentiae divinae agendae sunt, quod, dum nobis hoc remedium largiretur, non solum facultatem tribuerit morbos ejus ope fugandi, qui ante incurabiles putabantur, sed eodem quoque deliramentis humanis finem imposuerit, quæ naturam morborum ex imaginatione potius explicare fatigebat.

²⁷⁾ MORTON l. c. pag. 87.



PICA 6078



(19)

DE
MUTATIS
PER USUM CORTICIS PERUVIANI
SYSTEMATIBUS MEDICIS,

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

HALEN

P R A E M

SOLEMNI AD THESES

DISPUTAT

U T

GRADUM DOCT

A C Q U I R

D I S S E

C A R O L U S J O S E

S I L E S

S O C I E T . S Y D E N H

HAL
T Y P I S B A T H E A

